

DE GLOBI TERRESTRIS
De Climatibus terræ, & dierum maximarum excre-
scentia ab Aequatore uersus polos.

CAPVT VI.



Antiqui dixerunt orbem terræ habitabilem in septem Climata: Est autē
Clima terræ spacium, in quo sensibilibus uariatur dies artificialis maxi-
ma, scilicet in dimidia hora, spacium igitur tantum inter duos paralle-
los tali distantia ab inuicem distantes ab Aequatore, uersus Arc̄ton,
Clima dicitur, à cuius initio ad finem usq̄ longissima dies per mediam
horam uariatur. Quanto enim propius accedit Clima ad Arc̄ton, tanto maiorem ha-
bet longissimum diem. Nam sub Aequinoctiali est dierum & noctium æqualitas,
ea ratione habitantibus sub Aequinoctiali, continue est eis dierum, noctiumq̄ æ-
qualitas, nā eorū horizon transit per polos mundi. Diuidit itaq̄ omnes circulos pa-
rallelos, quos sol motu primi mobilis describit in partes æquales, unde tanti sunt ar-
cus dierū, quanti sunt arcus noctiū, nam ijs solis est sphaera recta. Recedentibus ue-
ro ab Aequinoctiali, mox contingit dierum noctiumq̄ inæqualitas, propter inæqua-
litate sphaeræ, & tanto quidem maior, quanto magis ab Aequatore discedunt, pos-
loq̄ propius iunguntur. Quo fit, ut si qui sub polo Arc̄tico degunt, maximam ha-
bent excrementiam diei & noctis longissimæ anni. Nam totus annus est ipsis unus
dies naturalis, id est dies & nox simul; cuius una medietas est continuus dies artifici-
alis, qui est ab ortu Solis in eius occasum; & altera medietas, cōtinua nox artificialis,
quæ est ab occasu Solis in eius ortum. Causa istius est, quòd circulus Aequinoctialis
est eorū Horizon, qui zodiacū (sub quo semper decurrit Sol) in partes æquales inter-
secat, ea ratione illis semper una medietas supra terrā, reliqua infra relinquitur. Cum
igitur Sol illā medietatē perambulat, quæ est à principio Arietis, ad finē Virginis,
unus ijs est dies continuus sine nocte. Cum uero per alterā medietatē decurrit, à prin-
cipio uidelicet Libræ, in finem Piscū, erit nox una continua sine die. Primum igitur
Clima Diameroes, à Meroe ciuitate celebri Aethiopiæ sub Aegypto. Secundum
Diasyenes, à Syene ciuitate nobili in Libia. Tertium Dialexandrias, ab Alexan-
dria ciuitate illustri in Aegypto. Quarum Diarhodu, à Rhodo insula in mari Medi-
terraneo, inter Candiam et Cyprum. Quintum Diarhomes, à Rhoma urbe in Italia,
Sextum Diaboristheneos, à Boristhene amne, qui influit Pontum, qui quidem Pon-
tus in hoc Climate Ponitur. Vnde licet Boristhenes amnis non sit in hoc Climate,
quia fluit in ora Ponti, cuius ostium certe est in septimo Climate, ut docet Ptolemæ-
us in sua Cosmographia, tamen mare Ponticum in quod fluit, est in hoc Climate, &
non multum distat à fine Climatis sexti influxus eius in mare. Septimum Diariphe-
on, à Ripheis montibus, qui in hoc ponuntur Climate, quamuis Riphei montes, ut
Ptolemæus demonstrat, habeant diem 20. horarum, quare multum distant à fine Cli-
matis septimi uersus Septentrionem, nisi uocarent montes Ripheos, Cetium & Car-
nantem, & Alpes Stiria, Carinthia & Athesis. Verum de hoc non nimium uidetur
laborandum, cum appareat à ueteribus nota, & celebria loca quæ sita esse, quæ pro
terminis Climatum statuerent, quæ cum in illis non inuenirent, uicina apprehende-
runt. Est tamen ibi summe notandum, quòd autor Sphaeræ non negat omnino esse
habitationem extra hæc Climata, sed uult dicere, quod non sit tam bona & conue-
niēs habitatio prouita humana, sicut in Climatibus. Verū, ut Ptole. in Cosmographia
sua demonstrat, quasi tanta portio adhuc est habitata, quanta est ex illis septē Clima-
bus constituta. Nam dicit ultra æquinoctialem ad 16. gradus protendi habitabilem,
Citra autē dicit usq̄ ad 63. gradus protendi. Diuisio itaq̄ Climatum facta est à
ualde antiquis, qui adhuc non cognouerunt maiorem partem esse habitabilem
quàm